

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-octavo mensis Januarii, Anno Domini M. DCC. LIX.

PRÆSIDE,

M. MARINO-JACOBO-CLARO ROBERT,
Doctore Medico.

An Bilis sapo Acido-Alkalinus.



I.



BILIS humor est sapore amarus, colore flavus, aut è flavo virescens, partibus pinguibus, oleosis & salinis aqueo menstruo dilutis constans, in hepate secretus, & indè partim per choledochum canalem jugi fluxu in duodenum, partim per cysticum in cystidem seu vesiculam felleam, veluti in promptuarium deducendus. Nullius profectò humoris in corpore fit majori cum apparatu secretio, quàm bilis. Nullibi ad humorem quempiam percolandum, tot tam-

que varia concurrunt inſtrumenta. Nuſquàm ad ſecernendum humorem, meditata magis, magiſque artificioſa machinarum applicatio. Diceres humoris illius efficaciæ ſingulariter ſtuduiſſe naturam. Nec immeritò ſanè. Quis enim dubitet, quanti ſit momenti bilis in ſervandâ œconomiâ animali? Ecquis adeò novus & hoſpes in Medicinâ aliunde repetat chyloſis abſolvendæ beneficium? Omnibus vox una: abſque bile, aut exquiſitâ illius ſecretione, imperfecta chylopoïeſis. Mediante verò eâdem, eâdem benè ſe habente, partes alimentorum vel maximè naturâ diſſociabiles in unum coeunt, quod chylus dicitur, & eſt materia primigenia omnium humorum. Aſt undenam Bilis ſuam mutuatur energiam? Repetendam à ſaponaceâ indole nemo negaverit. Suadet ratio, confirmat experientia. Haud aliâ ratione (a) » Bilis chymo è ventriculo egreſſo affuſa, fundit omnia, æquabiliſſimæ » miſcelæ apta reddit, glutinoſa, lenta omnia dividit & attenuat. « Neminem fugit quantùm ad eluendas veſtium ſordes, præ cæteris ſaponibus, ſeſe commendet bilis. Bilis ſaponaceam indolem agnoſcunt omnes. Alkalinum eſſe ſaponem arbitrantur. An mere Alkalinus? Qui pronunciare voluerit attendat ad bilis formationem. Præjudicii integer conſulat naturam. Mox patebit bilem conſtare tùm Acido tùm Alkalino ſapone, ſi quidem ad bilem efformandam non minùs oleoſis conjungantur, acidæ quàm alkalinæ ſubſtantiæ.

(a) *Wanſwieten*, lib. de morb. à glut. ſpont. part. 69. n. 3.

I I.

ET quidem ut ex olei cum alkalino ſale conjunctione ſaponem dari alkalinum, ſic ex acido oleoſis unito ſaponem acidum efformari Chymia edocet. (a) » Oleoſæ ſubſtantiæ per ſe aquâ diſſolvi neſciæ, ſi alkalinis ſalibus conjunguntur, » menſtruo fiunt aqueo ſolubiles. Oleoſas pariter ſubſtantias aquâ ſolubiles efficiendi, cum alkalinis diviſam habent poteſtatem ſalia acida. Sic cum acidi alkalinive ſalis alterutro maritatum oleum, ita ut ex connubio emergat corpus aquâ » ſolubile, ſapo dicitur in genere. Hic eamdem quâ pollet ipſe dotem, cum » oleoſis ſubſtantiis communicat. Unde ſolvendi & abſtergendi facultas omnibus » notiſſima. « At prout ſapo auctorem agnoſcit ſal acidum vel alkalinum, ſtrictius nomen ſibi vindicat acidi ſaponis aut alkalini, utriuſque exempla quotidianus præbet uſus: docent chymici: ſaponum artifex ſuprema comprobat natura. Tot enim exempla ferè ſaponum animalis œconomia ſuppeditat, quot humores in corpore numerantur. Inter autem diverſos ſapones, mirâ finxit arte bilem natura utriuſque indolis participem. Quotiès enim occurrunt oleoſis liquoribus ſales acidi vel alkalini, fit ex connubio ſapo acidus vel alkalinus. Verùm ſi ad bilem efformandam, non minùs conjungantur oleo acida quàm alkalina ſalia, oleoſis partibus occurret ſal utrumque. Emergat indè neceſſe eſt ſapo, non merè alkalicus, non merè acidus, ſed mixtus ex utroque, qui tùm acidam, tùm alkalinam ſimul indolem referet, juxta Axioma: *principiata redolent naturam principiorum*

(a) DD. *Macquer*, Elem. Chym. p. 180.

I I I.

SED quis non videat ad efformandam bilem oleoſis occurrere & uniri tùm acidum ſal, tùm alkalinum? Fœtus utroque chylus, in bilis formatione primas agit partes. Haud aliter ſenſerunt melioris notæ auctores. Chyli pars non mediocris à vaſis lacteis per meſeraïcas venas in hepar delatus, illuc ſecum volvit acidum, reconditum quidem & globulis chyli oleoſis irretitum. At mox evolvitur calore loci acidum illud, necnon & tenuiſſimorum capillamentorum actione, liberum fit à compedibus quas injecerant partes chyli oleoſæ. Ab illis eò ſeparatur faciliùs quò minùs intimum fecerant conſortium. Vix ſui juris factum eſt; huic ſe-

obvium præbet ſanguis ab omnibus abdominis viſceribus redux, ſero lymphâque egens, aſt oleo dives. Acidum oleoſæ partes invitant ad ſui connubium, notâ lege affinitatis, illud oblatos fertur in hymenæos, quos jam non vetant rariores aquoſæ partes. Emergit è connubio ſapo acidus, qui non minorem bilis partem conſtituit: reliquam ſuppeditat alkalinus ſapo. Ut enim acidum detulit pars una ſecreti ab inteſtinis tenuibus chyli; ſic & afferet alkalinum volatile, chyli pars altera in inteſtinis craſſioribus à fœcibus jam putrefactis ſecreta. Sic efformati ſales alkalini, per circulationem unà cum ſanguine feruntur ad hepar latice oleoſo turgens. Sed cùm ipſius ingrediantur ſalis alkalini volatilis compoſitionem oleoſæ partes, maxima indè affinitas cum oleoſis, quas habet obvias partibus. Hinc in illas fertur imperioſiùs, & ſtabile jungit connubium, inde ſapo alkalinus: mirum quàm in ſaponem acidum animi fraterni! mutuis ſeſe excipiunt amplexibus ſapo acidus alkalinuſque, auxiliatrices jungunt manus, bilemque efformant.

I V.

ET verò acidi ſalis ut alkalici præſentiam in bile nonne demonſtrat Chymica analyſis? Deſtillatione enim bilis moderato igne inſtitutâ, prodit phlegma, dein oleum, cum pauco alkali volatili, dum remanet in fundo reſina denſa & inflammabilis. Sic & calculi biliarii reſinoſam indolem referunt. Sed ex acidis oleo unitis reſinas exurgere quem latet? Acidum in pingui deliteſcere prodit analyſis. Ambæ illæ ſubſtantiæ arte humanâ iterùm ſimul unitæ nonne dant reſinam? Quo non extat argumentum majus in Chymicis ad inveſtigandam alicujus ſubſtantiæ compoſitionem; arguitur inde in Bile quæ reſinam ſuppeditat, acidi præſentia ſalis cum oleo uniti. Nec parte aliâ dubiam ſinit eſſe ſui præſentiam, ſal alkali volatile quod recipiente excipitur. Non parum etiam noſtram firmat ſententiam celeberrimus Cartheuſer (a), qui ab acidi oleique conjunctione omnem deducit amaritudinis cauſam. » In amaris enim ſubſtantiis hæc allegata duo amaritudinis principia conſtitutiva adeſſe, ſpagirica probat analyſis... « amara diverſa ſi deſtillatione tractentur. » Largiuntur, 1°. aquam, ſubtili & volatili acredine imbutam; 2°. liquorem flaveſcentem, tandemque brunnum, magis magiſque acidum, particulis oleoſo-inflammabilibus tenerrimis remixtum; dùm 3°. in retortâ terra nigra iners remanet... eadem impetrantur ex amaris omnibus... » Multùm pariter lucis in hoc paſſu varia ſyncriſeos exempla fœnerantur; » & præcipuè B. Frid. Hoffmanni ſequens Experimentum. Nam ex acidi nitroſi oleique lavendulæ mixturâ igni ſubjectâ, vidit exurgere corpus reſinoſum, virideſcens, amaritie inſigne, qualem propemodum refert colocynthis, linguæ infeſtiſſimâ. At vix diſcrepat Bilis. Nonne his omnibus abundè probatur in bile, acidi præſentia ſaponis, cui de noſtro benè ſollicita commodo natura miſcuit alkalinum ſaponem, ut ſibi invicem auxilio eſſent & moderamini? Sic *alkalina probè cùm amaris mixta ingratam amaritiem multùm minuunt*, teſte Cartheuſero.

(a) Vide fundamenta mat. Med. ſect. 9. cap. 1. § V & VI.

V.

AT, inquies, ſi concurrant in hepate tùm acida, tùm alkalina ſalia, emerget inde ſal neutrum; ſi quidem alkalinis acida conſociari amant præ cæteris ſubſtantiis. Illud equidem contingeret, ſi ſui juris eſſent tùm acida tùm alkalina; ſed res aliter ſe habet: minimè ſuâ libertate potiuntur hæc ſalia. Obſtat inſuperabilis obex: connubium vetat involucrum pingue. Sic videmus multis in caſibus, acidam alkalinamque ſubſtantiam in eodem ineſſe liquore, nec ob interpoſitas partes, mutuos currere in amplexus; tollas compedes, redibit affinitatis imperium. Verùm, objicient:

Acida liquores humanos inſpiſſant, coguntque in grumos. » Acidis reverâ, inquit » celeberrimus auctor, *(a)* coagulantur liquores in animantibus, at iidem oleis re- » ſolvuntur. Ideò ſapones acidi nedum humores ſpiſſiores reddant, è contra, » ſi quæ ſint, tollunt obſtructiones. « Hinc, ex acidis aut alkalicis, ne quid detrimenti caperet œconomia animalis, prudens natura miſcuit illis oleoſas partes; quæ intrà ſe receptos ſalium hebetarent aculeos. Sic novit ſagax ad meliorem reducere frugem ſubſtantias alioquin nocituras. Hanc naturæ ſatagentis induſtriam in cunctis ferè corporis noſtri humoribus conſtanter obſervatam videre eſt. At nullibi miranda magis occurrit quàm in bile, utroque nimirùm præditâ ſapone. Haud aliâ ratione omnimodas præcavet obſtructiones. » *(b)*Quotquot enim » enaſcuntur à ſpiſſiori lymphâ quæ veluti gummoſam refert indolem, obſtructiones » avertit ſapo acidus... Idem fugat morbos quos procreare valent obſtructiones » ab alkalinis putridis oriundæ. Quod genus morbi occurrit multò frequentiùs » quàm creditur. E contra ſi ab acidis coagulantibus repetendæ veniunt obſtru- » ctiones, illas reſerare valent ſapones alkalini. « Hinc ratio patet quamdiù bilis juſta temperies adeſt, cur illibata ferè obtineatur ſanitas.

Ergò Bilis ſapo (c) Acido - Alkalinus.

(*a*) DD. *Malouin*, Chym. Med. p. 508. tom. 1. edit. 1750.
(*b*) *Malouin*, tom. 1. pag. 358. idem tom. 2. p. 470.
(*c*) Nec meus hic ſermo eſt, ſed quem præcepit in perpetuum mihi colendiſſimus Magiſter *Ant. Petit.* D. M. P.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Edmundus - Thomas Moreau.	*M. Ludovicus-Anna Lavirotte, Cenſor Regius, necnon Caſtrorum Regis & exercituum nuper in Germaniâ Proto - Medicus.*	*M. Carolus Dionis.*
M. Joannes-Baptiſta Thurant.	*M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus le Thieullier, Regis Conſiliarius & in majori Conſilio, necnon in magnâ Regiæ domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius & Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor deſignatus.*	*M. Gedeon de Rabours.*
M. Carolus Gillot.	*M. Petrus-Ludovicus-Maria Maloët, Scholarum Profeſſor deſignatus.*	*M. Laurentius Ferret, Eccleſiæ Cameracenſis Canonicus.*

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS DUSSANS, Atyrenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1759.